RERUM ECCLESIASTICARUM DOCUMENTA

CURA PONTIFICII ATHENAEI SANCTI ANSELMI DE URBE EDITA
MODERANTE L. C. MOHLBERG

SERIES MINOR

SUBSIDIA STUDIORUM

3

BREVIARIUM SYRIACUM

SEU MARTYROLOGIUM SYRIACUM SAEC. IV
IUXTA COD. $\overline{\text{SM}}$. MUSAEI BRITANNICI ADD. 12150
EX SYRIACO IN LATINUM TRANSTULIT NOTISQUE
ATQUE INTRODUCTIONE ILLUSTRAVIT

BONAVENTURA MARIANI O.F.M.

PROF. INTRODUCTIONIS BIBLICAE IN PONTIFICIIS ATHENAEIS URBIS
« URBANIANO DE PROPAGANDA FIDE » ET « ANTONIANO »

HERDER

ROMAE – FRIBURGI BRISG. – BARCINONE

MCMLVI

RERUM ECCLESIASTICARUM DOCUMENTA
CURA PONTIFICII ATHENAEI SANCTI ANSELMI DE URBE EDITA
MODERANTE L. C. MOHLBERG

SERIES MINOR
SUBSIDIA STUDIORUM
3

BREVIARIUM SYRIACUM

SEU MARTYROLOGIUM SYRIACUM SAEC. IV
IUXTA COD. SM. MUSAEI BRITANNICI ADD. 12150
EX SYRIACO IN LATINUM TRANSTULIT NOTISQUE
ATQUE INTRODUCTIONE ILLUSTRAVIT

BONAVENTURA MARIANI O.F.M.
PROF. INTRODUCTIONIS BIBLICAE IN PONTIFICIIS ATHENAEIS URBIS
« URBANIANO DE PROPAGANDA FIDE » ET « ANTONIANO »

CASA EDITRICE HERDER
ROMA · BARCELONA · FREIBURG I.BR.
1956

INDEX ANALYTICUS

INTRODUCTIO

Nomen Breviarii Syriaci 3
Textus et Bibliographia 3
Contentum Breviarii Syriaci 5
De indole et natura 9
Ambitus 10
Locus compositionis 10
Nicomedia 11
Tempus compositionis Breviarii 12
Origo. 15
De fontibus Breviarii 16
Breviarium Syriacum et Martyrologium Hieronymianum 20
De arianismo Breviarii Syriaci 22
De tenore translationis ex syriaco in latinum 24
Tabulae I. II. 25. 26

BREVIARIUM SYRIACUM

Pars I: *Martyres qui in Occidente occubuerunt*

Nomina dominorum nostrorum confessorum et victorum et dierum eorum in quibus acceperunt coronas

In mense Konun priore (*Decembri*) 27
In mense Konun posteriore (*Januario*) 28
In mense Šbâṭ (*Februario*) 30
In mense Âdâr (*Martio*) 31
In mense Nīsân (*Aprili*) 33
In mense Iyyâr (*Majo*) 36
In mense Ḥezīrân (*Junio*) 39
In mense Tâmūz (*Julio*) 42
In mense 'Âb (*Augusto*) 42
In mense 'Aîlūl (*Septembri*) 44
In mense Tešrī priore (*Octobri*) 47
In mense Tešrī posteriore (*Novembri*) 49

Pars II: *Martyres qui in Oriente occubuerunt*

Nunc nomina episcoporum confessorum qui interfecti sunt in Oriente

Nomina dominorum nostrorum confessorum episcoporum regni Persarum 52
Nomina presbyterorum confessorum 53
Nomina diaconorum confessorum 55
Index nominum 57

Nihil obstat: Romae, die 28 ianuarii 1956 - *Fr. A. Sépinski*, Min. Gen. O.F.M.
Imprimatur: Vicariatus Urbis, Officium I-II, 18-IV-1956.

INTRODUCTIO

Nomen Breviarii syriaci

In editione De Rossi–Duchesne titulus ei praeponitur: Breviarium Syriacum. Ab his et ab aliis vocatur etiam Martyrologium Orientale, Martyrologium Nicomediense, Martyrologium Syriacum, Martyrologium saeculi IV (1). Nos titulum « Breviarium Syriacum » retinemus. Quod tamen non excludit illud verum martyrologium esse. Eius momentum pro historia liturgiae, in eo est quod ex eodem archetypo originem trahit ac Martyrologium Hieronymianum et ex eius vetustate. Influxum in martyrologia Occidentis, non vero in illa Orientis exercuit. Influxus quoque in historiam sanctorum spernendus non est (2).

Textus et Bibliographia

Breviarium in versione syriaca prostat et asservatur in codice Musaei Britannici ms Add. 12150 qui continet: *Recognitiones Clementinas;* Titi Bostrensis, *Contra Manichaeos;* Eusebii Caes., *Theophania; De Martyribus Palaestinae; Sermo de Martyribus* et in fine, foll. 251v–254r, *Breviarium Syriacum.* Codex ex Nitria (Aegyptus) provenit. In fine scriba notavit: « Hoc volumen perfectum est mense Tišri posteriore a. 723 (*iuxta aeram Seleucidicam i.e. Nov. a. 411 p. Ch.*) Edessae, civitate Mesopotamiae ».

Primo a W. Wright a. 1866 editum est:

(1) Cf. *F. Nau*, Martyrologe du IVe siècle = Patrologia Orientalis 10 (1915) 7-26; *Leclercq* = Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie 10/II (1932) 2563; *De Rossi–Duchesne* et *Lietzmann* cf. in ss.

(2) De hoc cf. *K. A. H. Kellner*, L'anno ecclesiastico (Versio *A. Mercati*) (Roma 1906) 309 s. Ex Breviario enim tempus mortis Arii haeresiarchae die 6 Jan. a. 336; Eusebii Caes. die 30 Maj a. 338; S. Babylae ep. Antiochiae die 24 Jan. a. 250 eiusque praedecessoris Zebinas die 13 Jan.; Maximini die 14 Febr. a. 191; Serapionis die 14 Maj a. 215 determinari potest. Res Antiochiae Breviarium bene cognoscere videtur.

W. Wright, An Ancient Syrian Martyrology: The Journal of sacred Literature 8 (1866) IV Ser., 45 ss. (in syriaco), 423 ss. (anglice versum).
Postea et in textu syriaco et in versionibus modernis denuo editum est. En praecipua:

J. B. De Rossi–L. Duchesne, Martyrologium Hieronymianum = Acta Sanctorum, t. 21 Nov. (1894) [L–LXIX]. In tribus columnis synoptice textum syriacum, eius versionem graecam et loca parallela Martyrologii Hieronymiani prae oculis ponit. Versio graeca a *Duchesne*, alia martyrum Persarum a *Van den Gheyn* factae sunt. Textum in codice *Graffin* contulit.

F. Nau, Un martyrologe et douze ménologes syriaques = Patrologia Orientalis 10 (1915) 7–26 (Textus syriacus, in codice ab auctore conlatus, et versio gallica cum brevibus notulis explicativis datur).

E. Egli, Martyrien und Martyrologien ältester Zeit (Zürich 1887) (Versio germanica) et: Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie 34 (1899) 273–298 (Commentarium).

H. Achelis, Die Martyrologien (Berlin 1900) 30–71 (Commentarium).

H. Lietzmann, Die drei ältesten Martyrologien = Kleine Texte für theologische und philologische Vorlesungen (Bonn 1911) 7–15 (Versio germanica).

Opera connexa

W. Cureton, The Festal Letters of Athanasius (London 1848) XXI–XXII.

G. B. De Rossi: Bullettino di Archeologia Cristiana (1878) 12.

L. Duchesne, Les sources du Martyrologe Hiéronymien: Mélanges d'Archéologie et d'Histoire V (1885) 121–137.

V. De Buck = Acta Sanctorum XII, Oct., praesertim p. 185. Cf. *Id.*, Recherches sur les calendriers ecclésiastiques 7.

E. Stevenson, Scoperta della basilica di S. Sinforosa: Studi in Italia (1897) 439, 458.

H. Delehaye, Synaxarium Ecclesiae Constantinopolitanae = Acta SS. Nov. Propylaeum, 1902 (Multa tradit de confessoribus in Breviario Syriaco commemoratis).
C. Erbes: Zeitschrift für Kirchengeschichte 31 (1905) 463 s.
K. A. H. Kellner, L'anno ecclesiastico e le feste dei santi (Roma 1906) 302–311.
A. Baumstark, Geschichte der syrischen Literatur mit Ausschluss der christlich–palästinensischen Texte (Bonn 1922) 59–60.
J. Fernhout, De Martyrologii Hieronymiani fonte, quod dicitur Martyrologium Syriacum (La Haye 1922).
H. Leclercq, Le Martyrologe Oriental = Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie 10/II (1932) 2563–2572.
M. Righetti, Storia liturgica I (Milano 1950) 261.
A. Bugnini = Enciclopedia Cattolica VIII (1952) 248 s.
R. Aigrain, L'Hagiographie, ses sources, ses méthodes, son histoire (Paris 1953) 23–29.

Contentum Breviarii Syriaci

Breviarium titulum praesefert: « Nomina Dominorum nostrorum Confessorum (1) (seu *Martyrum*) et victorum et dierum eorum in quibus acceperunt coronas » et in duas partes dividitur. Prior eorum confessorum qui in Occidente; altera eorum qui in Oriente occubuerunt memorias agit. Haec divisio geographica in relatione ad provinciam Romanam Osrhoene et ad civitates Nisibi et Edessae, in qua Breviarium Syriacum redactum esse videtur, fit. In fine prioris elenchi fortasse legendum est (codex enim mutilus est): « Finis confessorum Occidentis». Deinde alius titulus additur: « Sequitur elenchus confessorum qui in Oriente occubuerunt ».

Confessorum Occidentis catalogus incipit die 26 Decembris et die 29 Novembris concluditur, confessores

(1) Nomen « modina » syriace et martyrem et confessorem exprimere valet. Revera de martyribus in Breviario agitur.

Sigla MH Martyrologium Hieronymianum indicamus.

a die 25 Novembris usque ad diem 25 Decembris omittens. Fortasse diem Nativitatis Domini 25 Decembris, quia die 6 Januarii Epiphaniam commemorat, praeterit. Mense Julio tantum tres commemorationes diebus 15, 19, 30, eorum videlicet qui confessores temporis Juliani Apostatae (361–363) fuerunt, facit. Insuper confessores positi mense Junio diebus 6, 7, 8, 10, 12, 13, 15, 16 et iterum 15, 22, 23, 24, 28, 31 iisdem diebus mensis Julii MH, respondent. Sed hae transpositiones versioni syriacae Breviarii, non textui graeco originali, tribuendae videntur. Nam in MH, quod ab eodem archetypo provenit, hae transpositiones non inveniuntur (1).

Confessores qui in Oriente occubuerunt in quatuor series dividuntur: 1) Novem martyrum Orientis sine determinatione ulteriori, sed qui « antiquioribus » adstipulantur. 2) Septendecim martyrum episcoporum. 3) Quinquagintasex martyrum presbyterorum. 4) Vigintisex martyrum diaconorum ex Meškene. Ii qui nn. 2–4 elenchati sunt, in regno Persarum occubuerunt. Singulis notatio locorum martyrii, non vero temporis mortis vel commemorationis additur. Sub rege Persarum Sapore, Romae Constantio imperatore a. 344-345, occisi videntur (2). Omnes orthodoxi, nullus nestorianus putantur. Martyres occidentales iuxta menses et dies commemorationis, additis provincia Romana et urbe ubi commemorationes fiebant, recensentur. Computatio chronologica aeram Seleucidarum sequitur et explicite formula « Juxta Graecos » indicatur.

En elenchus civitatum martyrologii Occidentis:

Afdintus (Perinthus = Heraclea) diebus 29 Sept.; 13, 14 Nov. Aphrodisia, Chariae regione: 30 Apr.; Alexandria 12 Febr.; 15 Mar.; 5, 7, 10, 21, 29 Apr.; 2, 4, 5, 19, 26 Maj; 6, 15 Jun.; 16, 10 Aug.; 3, 5, 19 Sept.; 24 Nov. Amasia: 18 Aug. Ancyra: 22 Jun.; 30 Aug.; 4, 16, 23

(1) Revera tamen pro die 6 Jun. Tirinos et alii 26 in MH non habentur. Ideo dubitari potest utrum ibi transpositio facta sit.

(2) De Simeone Bar–Sabai († 17 Apr. 344), Šahdôst († 346), Sapore ep. Beth–Gurmai, Miles, Simeone, Barba'šemin, Johanne, Sapore, Gudîhab, Sebinâ, Bar–'Abdâ, Paulo, Ebedjesus cf. *Sozomenos*, H. E. II, 13, 14 qui eos martyribus tempore Saporis 1 assignat.

Sept. Antiochia: 13, 14, 30 Jan.; 4 Febr.; 4, 11, 27 Mart.; 8, 20 Apr.; 21, 29 Maj; 1, 8, 19 Jun.; 1, 14 Aug.; 3, 8, 17, 26 Oct.; 15, 18 Nov. Axiopoli: 12 Maj. In Africa: 7 Mart. In Asia: 23 Febr.; 19 Oct.

Bobiduna (1): 25 Maj; 4 Jun. Bononia: 30 Dec. In Bithynia: 18 Maj.

Caesarea Cappadociae: 2 Mart.; 28 Maj; 11, 12 Jun.; 3, 24 Nov. Caesarea Palaestinae: 16 Febr. Chalcedonia: 17 Sept.; 13 Oct. Cherateia (Antiochia): 1 Aug. Constantinopoli: 11 Maj. Constantinopoli in Byzantio: 19 Maj; Corinthus Achaiae: 18 Apr.

Edessa: 2 Sept.; 15 Nov. Eumenia, civitate Phrygiorum: 27 Oct.; 20 Nov.

In Galatia: 15 Sept. Hadrianopoli Thraciae: 22 Oct. Heliopoli: 6 Jan. Heraclea in Thracia: 7 Jan.; 26 Mart. Hierapoli Phrygiae: 25 Oct. Hierusalem: 26 Dec.; 11 Mart. In Isauria: 12 Jun.

Laodicaea: 23 Jun. Laodicaea Phrygiae: 26 Jun.; 9 Oct. Lystrae: 23 Maj.

Melitene: 7 Jan.; 3 Maj; 21 Nov.

Nicaea: 19, 27 Jan. Nicomedia: 8, 20, 22, 24, 25, 26 Jan.; 24 Febr.; 1, 4, 6, 11, 12, 13, 25 Mart.; 6, 28 Apr.; 1, 4, 7, 10 Maj; 1, 15 Aug.; 2, 18 Sept.; 2, 7, 20, 30 Oct.; 17 Nov Nicopoli: 11 Aug. Nisibi: Feria sexta post Pascha; 23 Maj; 15, 30 Jul.

In Palaestina: 13 Maj. Pergamum: 13 Apr.

Roma: 28 Dec.; 1 Aug.

Salona: 11, 18 Apr. Sirmium: 6, 9 Apr.; 20 Jun.; 29 Aug. Synnada: 30 Jun.; 29 Jul.; 13 Aug. (Synnada Phrygiae), 20 Sept.

Thessalonica: 14 Mart.; 2 Apr. Tirinos: 7 Jun. Tomis: 3 Apr.; 5, 10 Jun.

Loca commemorationum martyrum Persarum sunt: 1) Episcoporum: Seleucia–Ctesiphon in regno Aramaeorum, Hurmizd–Ardašir in regno Huzitarum, Carca in Beit–Selok, Beit–Lapaṭ in regno Huzitarum, Perat–Maišan, Caščar, Ḥalwan, Saharqart, Arbela. 2) Presbyterorum: Seleucia–Ctesiphon, Meškene, Maḥuzê, regni

---

(1) Isaktscha in Mesia (cf. *Nau* o.c. 17).

Aramaeorum, Beit–Ḥuzoie, Hadiabene, Beit–Garmai, Seleucia, Theltha–Šalilâ. 3) Diaconi sunt ex Meškene.

Quoad confessores Occidentis haec notanda sunt: bis Thracia (Heraclea 7 Jan.; 26 Mart. Hadrianopoli 22 Oct.); quater Phrygia (Laodicaea 26 Jun.; Hierapolis 25 Oct.; Eumenia 27 Oct.; Synnada 30 Jun.; 13 Aug.); Bithynia 18 Maj; Isauria 12 Jun.; Achaia (Corinthus) 19 Apr.; Palaestina (Caesarea) 16 Febr.; Cappadocia (Caesarea) 2, 28 Maj; 11, 12 Jun.; 3, 24 Nov.; Asia (1) 23 Febr.; 19 Oct.; Africa 7 Mart.; Byzantium (Constantinopolis) 19 Maj; Chariae regio 30 Apr. nominantur (2).

Confessores iuxta aetatem distinguntur. Nam alii simpliciter enuntiantur, alii vero « antiquioribus » assignantur. Antiquiores isti recensentur: Heracleae 26 Mart.; Nicaeae 19 Jan.; in Asia 23 Febr.; in Africa 7 Mart.; Pergami 13 Apr.; Nicomediae 15 Aug.; 2 Sept; Antiochiae 8 Jun.; 17, 26 Oct.; 15 et, iuxta MH, 20 Nov.; Synnadae 30 Jun.; 20 Sept.; sine indicatione loci, sed post Alexandriam, die 21 Aug. Hierapoli 25 Oct. In MH 14,29 Jan., 3 Apr. et 3 Maj assignantur. Etiam confessores ex Oriente ex « antiquioribus » desumuntur. In MH pro Antiochia Jan. 14, 29, 30, pro Mysia Apr. 3 et pro Melitene Maj 3 allegantur.

Roma bis recensetur: 28 Dec. (commemoratio SS. Pauli et Simeonis Cephas, capitis Apostolorum D. N.) et 1 Aug. (memoria Xisti episcopi Romae). Feria sexta post Pascha fit memoria omnium confessorum (occasione commemorationis Hermae Nisibi). Die 6 Jan. est Epiphania D. N. I. Die 1 Aug. martyres Machabaei recensentur: « Confessores qui fuerunt ex illis qui depositi sunt Antiochiae scil. in Cherateia, qui sunt filii Šmūnī. Ipsi qui scripti sunt in Machabaeis ». Die 26 Jun. sermo est de « factione Catharorum ». Die 6 Jun. Arius presbyter Alexandriae et 30 Maj « memoria Eusebii episcopi Palaestinae » referuntur.

---

(1) In MH: Die 3 Maj. In provincia Asiae.

(2) In MH praeterea occurrunt: Brittania 23 Maj; Antiochia Syriae 15 Apr.; Mauritania 23 Maj; Provincia Caesarea 23 Maj; Salona Dalmatiae 11 Apr.

Praeterea 24 Jan. sermo est de Babyla episc. Antiochiae cum aliis 30 pueris qui Nicomediae celebrantur. Item Alexandriae 5 Maj Heros episc. Antiochiae commemoratur (1). Nonnulli confessores repetuntur. V. g. 27 Jan., 23 Febr., 23 Maj; 19 Jan., 23 Febr., 2 Sept.

De indole et natura Breviarii

Omnes auctores id verum martyrologium habendum esse docent. Martyres seu confessores enim « Occidentis » iuxta menses et dies calendarii Juliani, sed nominibus syriacis retentis, necnon iuxta provincias Romanas et civitates, quibus eorum commemorationes perficiebantur, distribuuntur. Martyres persici vero tantum ratione locorum in quibus memoria fiebat enumerantur.

Non videtur tamen eo fine confectum ut publice in liturgia adhiberetur. Neque quod de facto in aliqua ecclesia lectum fuerit. Etenim confessor Metrodorus marcionita III Id. Mart. (MH) recensetur et memoria Eusebii Caesareensis tantum hic (30 Maj) et in MH fit. Fortasse et Arius haeresiarcha commemoratur (6 Jun.). De factione Catharorum 26 Jun. quoque sermo est. Memoria Cosconii, Zenonis et Menalippi tribus diebus diversis i.e. 19 Jan. Nicaeae; 23 Febr. in Asia et 2 Sept. Nicomediae reponitur. Ideo probabilius videtur esse compilatio ad usum privatum. Distinctio enim in confessores Palaestinae et Persidis, inter martyres orientales et occidentales parum martyrologii indoli convenit. Quaedam incongruentiae id convalidant. V.g. 24 Jan. Babylas episcopus Antiochiae, Nicomediae assignatur et 5 Maj Heros episcopus eiusdem Antiochiae, Alexandriae commemoratur. Distinctio quoque inter martyres « ex antiquioribus » et alios, melius compilationi privatae convenit. Revera auctor Breviarii opera historico–hagiographica Eusebii Caes. ad opus perficiendum adhibuisse videtur (2). Repetitiones quae in Breviario occurrunt, ex fontibus diversis quibus usum est, facilius explicantur.

---

(1) De his incongruentiis cf. in ss. p. 9, 15.

(2) De his cf. in ss. pp. 16-19.

Ambitus

Confessores Orientis in duas series distribuuntur. Sed de illis « qui in Oriente » occubuerunt, neque tempus neque locus passionis eorum determinatur. Tantum quod ex confessoribus antiquioribus proveniunt notatur. Reliqui ad regnum Persidis pertinent. Civitates et regna quae notantur cf. p. 7 s.

Nomine Occidentis vero imperium Romanum Orientis venit. Divisio autem provinciarum Romanarum illa est quae tempore Diocletiani ante a. 381 vigebat. Nam sequentes confines includit: Ad orientem Pontus, Armenia Maior, Osrhoene et Mesopotamia (Nisibi). Versus meridiem Syria (Antiochia, Damascus) et Palaestina (Caesarea et Hierusalem cum Philadelphia et Decapoli). Aegyptus fere exclusive ab Alexandria sed et a Thmuis (Tomis) et Thebaide repraesentatur. Ad occidentem Illyricum totum cum Salona et Sirmio. Versus septentrionem usque ad Noricum ad ripas Danubii pergit; deinde Pannoniam, Daciam, Thraciam (Hadrianopolis) usque Constantinopolim (Byzantium) includit. Italia praesens est tantum cum Roma ob festa SS. Petri et Pauli (28 Dec.) et Xisti II (1 Aug.); Africa vero cum SS. Perpetua et Felicitate (7 Mart.). Quamvis haec ultima ad imperium Romanum Orientis non pertinuerint, tamen ratione celebritatis horum martyrum earumque ecclesiarum recensentur.

Locus compositionis

Codex qui versionem syriacam Breviarii continet, Edessae in Mesopotamia scriptus est. Sed ubinam Breviarii textus archetypus redactus sit non constat. Ex indiciis internis omnes critici illum Nicomediae in Bithynia assignant (1). Re enim vera civitates quae frequentius

(1) Ita v.g. *De Rossi–Duchesne o. c.* [LXVI]; *Nau o. c.* 8–9; *Leclercq o. c.* 2563, 2568, 2571; *Aigrain o. c.* 24 s.; *Lietzmann o. c.* 7; *Baumstark o. c.* 59 s.; *Bugnini o. c.* 248.

occurrunt sunt Nicomedia (undetricies), Antiochia (vicies bis) et Alexandria (vicies). Excluditur autem Antiochia quia in Martyrologio Hieronymiano nomine provinciae adiuncto (Antiochia Syriae) pressius determinatur (1). Alexandriae regio minus auctori Breviarii nota supponitur quia martyrum memoriae fere exclusive (i.e. exceptis Thmuis et Thebaide) Alexandriae coarctantur. E contra Nicomedia commendatur quia pluries occurrit et quia auctori Breviarii familiaris videtur. Etenim absque ulla provinciae Romanae determinatione nominatur. Praeterea confessores Asiae Minoris et Thraciae, ad provincias et urbes pertinent, quae geographice cum Nicomedia tamquam cum principaliori connectuntur. Id etiam tempore quo Breviarium compositum est confirmatur. Nam tunc Nicomedia caput et residentialis sedes imperatoris Orientis erat. Fortasse etiam ob hanc urbis praeminentiam celebritatem nactum est. Postea sedes imperatoris Byzantium transfertur. Dum in Breviario civitas haec adhuc indeterminate recensetur: «Constantinopoli in Byzantio». Nicomedia commendatur etiam quia centrum arianismi extitit. Arianam autem originem Breviarium habere videtur. Attamen notitias de martyribus Nicomediensibus ab Eusebio Caesar. Breviarium desumere poterat.

Nicomedia

Aliquid de hac civitate atque de persecutione Diocletianea hic exponere iuvabit.

Nicomedia modernae civitati Izmit, in Turchia sitae, respondet, quae capitalis Villayet Coca Eli et portus munitus est. A. 1933, habitantes 14633 enumerabantur. Antiqua Nicomedia erat urbs Bithyniae a Nicomede I saec. III a. Ch. fundata, Romanis autem hereditate a Nicomede III, qui Mithridatem adversabatur, donata. A Gothis ac terraemotu a. 358 p. Ch. diruta, a Justiniano

(1) Res Antiochiae tamen bene novit. Ex ea octo episcopos recenset. Ex Nicomedia nullum.

imperatore reaedificata, in manus Turcarum a. 1326 cecidit. Ibi Hannibal famosus occubuit, diuque Diocletianus et Constantinus imperatores sedem fixerunt. Hac in urbe Diocletiani edictum mense Martio a. 303 de ecclesiarum christianarum destructione, de SS. Scripturarum combustione deque jurium eorum qui officiis publicis fungebantur et mancipiorum emancipandorum amissione promulgatum est. Id autem initium fecit immensae et cruentae fidelium persecutioni quorum gesta et nomina in *Eusebii Caes.*, H. E. VIII, 1–6, in Martyrologio Hieronymiano et in Breviario Syriaco describuntur.

Primo christianus quidam anonymus, sed illustris, qui grandi fortissimoque animo edictum persecutionis in platea publice expositum laceravit, occisus est. Illum alii illustres viri v.g. Dorothaeus, Gorgonius ac Petrus qui aulae imperatoris praeerant, martyrii causa secuti sunt. Episcopus Nicomediae Anthimus decollatus est. Numerosa martyrum turba eum in martyrio comitata est. Post aliquot dies, christianis de incendio sponte in palatio imperiali exorto, accusatis, persecutio crudelissime saevit. Tunc enim aliae turbae partim igne combustae, partim ense necatae, partim navibus vectae in mare demersae fuerunt. Cadavera quoque martyrum aulae imperiali addictorum exhumata et inde in mare iactata fuerunt. Sed fideles fortes restiterunt, multis in fervore spiritus in flammarum medium prosilientibus. Eusebius de martyre in craticula assato sermonem quoque facit. Persecutio denuo exarsit post rebellionem in regione Melitene a tribuno Eugenio Seleuciae et ab alio incognito excitata quae Antiochiae repressa est. Tunc enim praesules ecclesiae, episcopi, presbyteri, diaconi, lectores et exorcistae in carcerem una simul cum viris nequam ducti sunt.

Tempus compositionis

Codex syriacus ubi Breviarium servatur, Tišri posteriori a. 723 – iuxta aeram Seleucidarum – i.e. mense Nov. a. 411 p. Ch. scriptus est. Quando vero eiusdem textus graecus compositus et in syriacum sermonem

versus sit non constat. Quia martyres diei 19 Jul. Macedonius et Tatianus iidem habentur ac Macedonius et Tatianus qui una cum Theodulo sub Juliano Apost. († 363), praefecto Amachio, gubernatore Phrygiae Salutaris, cuius Synnada urbs capitalis erat, combusti sunt (1), ideo tantum post persecutionem Juliani Apost. i.e. post a. 362, Breviarium componi potuisse videtur. Insuper die 15 Iul. Iacobus ex Nisibi commemoratur qui a. 361 occubuit.

Sed haec conclusio labili nititur fundamento, quia haec nomina tempore posteriori in textum inserta esse potuerunt. Inveniuntur enim omnia in mense Julio de quo initium deest et finis, fortasse mensi Junio adiectus, cum eo fusus est. Etenim nomina Junii 6, 7, 8, 10, 11, 12, 15, 19, 20, 22, 23, 24, 26, 30 respondent confessoribus qui in MH mense Julio diebus 6, 7, 8, 10, 12, 13, 15, 16, 17, 22, 23, 24, 28, 31 leguntur (2). Nomina e contra Julii in Breviario tantum tribus diebus assignantur i.e. « 15 Jacobi episcopi Nisibi »; « 19 Synnadae Macedonius et Lampîros et Antigonus et Iôbînôs et Victorinus et Tatianus »; « 30 Nisibi, in urbe, Adelphos et Gaius ». In MH respondent tantum mense Julio: « die 15 Jacobi episcopi Nizibae » et « 19 in Antiochia Macedonis et Lampadii ». Adelphos et Gaius diei 30 in MH desunt. Sed et pro die 19, loco Synnadae, Antiochiam, loco Lampiros, Lampadii habet. Insuper alios martyres Synnadae omittit.

Animadvertendum quoque est in Breviario duas ex tribus memoriis, cum Nisibi connecti. Cum itaque quoad has tres commemorationes Breviarium tantopere a MH discrepet, opinari liceat in archetypo, Breviario et MH communi, eas non extitisse, sed a redactore syriaco ad lacunas Julii quodammodo replendas insertas esse. Hac hypothesi admissa, Breviarium persecutione Juliani Apost. antiquius habendum esse oportet. Attamen a quo et quando tres commemorationes illae adiectae

---

(1) Cf. *Sozomenos*, H. E. V, XI; *Socrates*, H. E. III, 7, 15.

(2) Revera tamen die 6 Jun. recensentur Tirinos et 26 confessores qui in MH non habentur. Unde fortasse pro his transpositio facta non est.

sint, nondum determinari potest. Quamvis probabilius videatur eas non a textus graeci auctore, sed a syro illo qui versionem perfecit vel ab illo qui textum syriace versum in codice nunc extanti transcripsit, provenire. Nondum enim constat utrum una eademque persona sit translatoris et illa scribae vel transcriptoris. Probabilius autem distinguenda est. Ideo textus certe ante a. 411 compositus est. Utrum ante an vero paulo post a. 362 incertum est. Probabilius autem antea quam postea.

Quaedam indicatio chronologica etiam ex limitibus imperii Romani Orientis et ex divisione administrativa provinciarum deduci potest (1).

Nam nominat « provinciam Lybiae Superioris » quae dioecesim Aegypti implicat. Salona in Dalmatia et Sirmium in Pannonia totum Illyricum includunt. In MH etiam Noricum Ripense nominatur quod limites occidentales Illyrici indicat. Consequitur itaque quod auctor non coarctatur Orientis imperio qualiter sub Licinio a. 314–323 aut sub Constantio a. 338–350, aut sub Arcadio et Honorio limitabatur. Limites itaque non includunt Occidentem ultra Italiam et Africam, quae tantum primis annis Licinii (307–323) ante pugnam a. 314 et post matrimonium Valentiniani III a. 437, limitibus politicis subiectae fuerunt.

Divisio provinciarum Breviarii est illa ex tempore Diocletiani (284 – post 305) vigens. Haec divisio subiecta fuit mutationibus saec. IV. Provinciae autem resolutae sunt in binas homonymas. V.g. Cilicia scissa est in Ciliciam I et Ciliciam II; Syria in Syriam I et Syriam II. Ita factum est de Palaestina, Galatia, Cappadocia, Macedonia, Phrygia. Sed nulla resolutio, praeter Phrygiam, ante a. 381 perfecta est. In Breviario tales resolutiones minime adsunt. Sed, v.g., occurrit Armenia Minor quae denominatio a. 386 disparuit quando in Armeniam I et Armeniam II scissa est. Haec omnia nos ad primam medietatem saec. IV amandant.

---

(1) De his cf. *Leclercq o. c.* 2568. De divisionibus in dioeceses tempore Diocletiani cf. *B. Niese*, Manuale di storia romana (Vers. *C. Longo*. Pisa 1910) 514. De alia divisione ante Diocletianum cf. *ibid.* 468–490.

Origo Breviarii

Quod textus syriacus quem possidemus Breviarii, originalis non sit, sed quod sit a textu graeco translatus, omnes critici fatentur. Revera enim in codice Musaei Britannici Add. 12150 post alias versiones ex graeco collocatur. Indoles quoque transcriptionis nominum non syrorum id evincit. Saepe enim confundit ܕ cum ܪ et viceversa. Alaf superfluos scribit (v.g. ܐܦܪܘܓܝܐ = Phrygia), litteras quandoque omittit (v.g. ܐܣܝܣܛܘܣ pro ܣܝܣܝܛܘܣ = Xystus) vel transponit (v.g. ܩܦܘܕܩܝܐ pro ܩܦܕܘܩܝܐ i.e. Cappadocia).

Die 21 Maj litteras omittit; die 20 yod mutatur in nun; die 2 nun in lamed. Poly`carpus scribitur Polyqarpos, Puluqarpos, Polycarpos. Aphdintos scribitur etiam Aphdantos. Sed probabiliter Perinthus legendum est quod postea in Heracleam mutatum est. Quaedam menda scribae, non translatori tribui debent (1).

Textum graecum quidam incognitus syrus in syriacum negligenter transtulit. Fortasse scriba alius a. 411 mense Nov. codicem nostrum etiam negligenter Edessae transcripsit.

Quando folium, quod finem mensis Junii et initium Julii continebat, deperditum sit non constat. Videtur tamen id in translatione syriaca contigisse, non vero in textu graeco originali quia eius cognatum MH talem lacunam non habet. Interpres syrus itaque tres commemorationes in Julio apposuit et martyres Orientis et regni Persarum addidit.

---

(1) Scribit Estaltis pro Eustathius (19 Jun.); Sequdnus pro Secundus (20 Jun.); Dioscordides pro Dioscorides (20 Aug.); Euparpâ pro Euprepios (1 Sept.); Hadriapolis pro Hadrianopolis (22 Oct.); Bernîqîns pro Beroniquianos (24 Nov.); Polyauqitua pro Polyeuctos (7 Jan.); Sychius pro Hesychius (1 Mart.); Hilada pro Hilara (12 Mart.); Chadalampos pro Charalampos (28 Apr.); Rôdôtôs pro Dôdôtôs (30 Apr.); Polo'qtos pro Polyneuctos (20 Maj); Gliuqerâôs pro Glycherius (8 Jun.); Aîârcôs pro Hierax (12 Jun.).

Deinde « confessor » in singulare pro plurali « confessores » (23 Sept.); undevigesima pro decimasexta (16 Oct.); momentum, hora pro septima (7 Febr.); decima nona pro decima sexta (16 Apr.); Nisan pro Jyyâr (4 Maj).

De fontibus Breviarii

Omnes critici ab operibus Eusebii Caes. Breviarium pendere tenent. Etenim post translationem operum Eusebii in codice Musaei Britannici collocatur. Peculiarem attentionem ipsum erga Eusebium manifestat cum inter confessores eius memoriam die 30 Maj faciat. Sed id praecipue elucet ex eo quod ex operibus historico-hagiographicis Eusebii hausit. Nam certe quater decies et fortasse octies decies confessores « ex antiquioribus » haurit. Et quidem pro Heraclea, Nicaea, Asia, Africa, Pergamo, Nicomedia, Antiochia, Synnada, Eumenia, Hierapoli, fortasse pro Alexandria, et pro confessoribus Orientis (1). Haec allegatio innuit Breviarium confessores in antiquiores et recentiores dividere. Quae divisio potius quam martyrologio, operi historico convenit.

Unde ex aliquo documento historico id desumpsisse videtur. Atqui Eusebius talem divisionem confessorum confecit quaeque cum illa Breviarii convenire videtur. Ideo iure meritoque ab illo eos desumpsisse concludere licet. Re enim vera Eusebius confecit opus cui titulus erat: Συναγωγή τῶν ἀρχαίων μαρτυρίων i.e. « *Collectio martyrum priscorum* ». Quod quidem deperditum est, sed eius extractus hinc inde in *Eusebii*, H.E. (cf. v.g. IV, XV, 47 s.; V, IV, 3 etc.) et in «Passionibus» martyrum servantur. Hoc opus acta martyrum qui tribus primis saeculis christianis ante Diocletianum occubuerunt, referebat.

Aliud opus Eusebii erat *De martyribus Palaestinae* h.e. qui sub Diocletiano et Maximino pro fide occisi sunt (a. 303–311). Hoc autem ad nos in duplici recensione pervenit h.e. breviori in eiusdem *Eusebii*, H. E. VIII (2) et in longiori, in linguam syriacam versum quod

---

(1) Cf. p. 8.

(2) Cf. *R. Laqueur*, Eusebius als Historiker seiner Zeit (Berlin 1929) 34 ss. *G. Del Ton*, Eusebio di Cesarea: Storia Ecclesiastica, 2 (Firenze 1943) 176, n. 1, observat de epitome historica, quam *Eusebius*, H. E., VIII, II, 3 facere intendit, quod haec epitomes continetur capp. III–XV sed quod non habebatur in forma actuali in libro VIII. In eius loco erat tractatus qui ipsi Eusebio inservit operi « De martyribus Palaestinae » conficiendo.

servatum est in eodem codice Musaei Britannici 12150, in quo nostrum Breviarium scriptum est (1). Immo hoc immediate post illud scriptum videmus.

Quod phrasi « ex antiquioribus » nostrum Breviarium Συναγωγή Eusebii citet vel ad eam alludat, variis ex indiciis, quae optime a De Rossi–Duchesne (2) deprehenduntur, quaeque hic breviter referre convenit, patet.

Etenim quae de passione Metrodori, III Id. Martii: « Smyrnae Pioni presbyteri. Metrodi (Metrodori) presbyteri » dicuntur, non a calendariis vel a martyrologiis ecclesiae desumi poterant. Nam Metrodorus, iuxta quod *Euseb.*, H. E. IV, XV, 46 refert, marcionita fuisse videtur. Quia vero, hic ab Eusebio ponitur post descriptionem martyrii S. Polycarpi, una simul cum illa Pionii affirmando quod haec omnia ex Passionibus eorum hausit et in suam Συναγωγή adiecit, improbabile non est Breviarium mentionem Metrodori ex Eusebio vel ex Passione Pionii desumpsisse. Utique commemoratio Pionii et Metrodori deest in Breviario, sed habetur in MH, quod eodem fonte ac Breviarium usum est (3).

---

(1) Edidit *Cureton*, History of the Martyrs in Palestine (London 1861). Cf. *I. Viteau*, De Eusebii Caes. duplici opusculo περὶ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ μαρτυρησάντων (Parisiis 1893).

(2) Cf. *o. c.* [LXVIII]. De Συναγωγή Eusebii haec tradunt *De Rossi–Duchesne, ibid.*: « Quae in eo continebantur Eusebii minime erant, sed eorum quibus curae fuerat diversis locis et temporibus martyrum memoriam scriptis recolere. Amplum sane fuit illud opus; ibi enim, ut ex ipso Eusebio discimus, integrae historiae cum prolixis documentis locum invenerant, cuius generis fuit epistula Lugdunensium ecclesiis Asiae et Phrygiae, cum scriptis non paucis ad montanismum spectantibus atque epistula confessorum ad Eleutherium episcopum Romanum; eidem Συναγωγή illata fuit Pionii Smyrnensis passio, multorum versuum documentum; eidem et Apollonii Romani martyris historia, cuius armena versio ... edita .. Integrum graecae passionis textum ea versio minime refert, neque tamen paucas paginas complectitur. Etsi id expressis verbis non dicit Eusebius, coniciendum est in eadem collectione fuisse et epistulam de passione Polycarpi celeberrimam et recens inventum sanctorum Carpi, Papyli et Agathonices martyrium. Ex hoc opere profecisse graecum martyrologii auctorem etc. ». Cf. etiam *Fiorentini*, Vetustius Occidentalis Ecclesiae martyrologium (Lucae 1668) 252.

(3) Quaeri tamen poterit quare non obstante quod fuerit marcionita, Metrodorus in Breviarium receptus sit, si verum martyrologium haberi debeat. Iuxta *De Rossi–Duchesne*, *o c.* LXVII « bonus auctor, cui certe

In eodem MH, VII Kal. Martii habetur mentio S. Polycarpi: « In Asia natale Pulicarpi episcopi cum aliis XII ». In Breviario simpliciter: « Die 23 Febr.: In Asia ex confessoribus antiquioribus Polycarpus episcopus et Arôṭôs et Qôsqônîs et Melanufôs et Zenon ». Hi ultimi tres in MH eodem die recensentur sed indicatione: « Smirna ». Teste igitur Breviario, mentio Polycarpi ex Συναγωγή desumpta est.

In *Euseb.*, H. E. *IV*, XV, 45 refertur quod Polycarpus est duodecimus eorum qui Smyrnae martyrium subierunt. Hoc igitur concordat cum mentione XII martyrum MH ad Polycarpum adiectorum. Eusebius autem ex Actibus Polycarpi id refert.

MH ab Eusebio pendere videtur etiam quoad martyres lugdunenses. Nam isti 48 martyres in MH IV Non. Jun. dividuntur in 3 series: 1) Hii autem qui ad bestias traditi sunt. 2) Hii sunt qui in carcere spiritum reddiderunt. 3) Item alii lugdunensium. Haec divisio autem illae quae de iisdem martyribus habebatur in epistola ad episcopum Romae Eleutherium, quo martyres Irenaeum commendant, respondet. Ibi enim elenchus martyrum dividebatur in: 1) eos qui decapitati sunt. 2) Qui bestiis obiecti sunt. 3) Qui in carcere occubuerunt. 4) Eorum qui adhuc superstites sunt. Haec epistola in Συναγωγή inserta erat et habetur in *Euseb.*, H. E. V, 4 (1).

Idem observatur quoad martyres alexandrinos, qui in MH XVI Kal. Mart. referuntur quique his titulis distinguntur: 1) Hii in mare missi sunt. 2) Hii omnes igne combusti sunt. 3) ... decollati sunt. Deinde animadvertit Duchesne (2): « Catalogi Lugdunensis ultima pars, no-

---

nulla ecclesiarum catholicarum Kalendaria Metrodori nomen obtulerunt, id in passione invenit atque ea parum intellecta, in opus suum rettulit ». Sed fortasse id melius explicatur ex indole ecclectica auctoris. Nam etiam Arium, sectam Catharorum et Eusebium ipsum commemorat. Iuxta *Eusebium*, H. E. IV, VX, 46–48 Metrodorus, Pionius, Carpus aliique martyrio coronati sunt sub Marco Aurelio. Revera tamen sub Decio id factum esse ex eorum Actibus constat (Cf. *Del Ton. o. c.* ad hunc locum *n.* 1).

(1) *De Rossi–Duchesne o. c.* [LXVIII] explicant quare mentio primae seriei omissa sit.

(2) *Ibid.*

mina continens eorum qui supervixerant, in Kalendariis locum habere non potuit, habuit autem in martyrologio » (1).

Dependentia Breviarii ab alio opere Eusebii *De martyribus Palaestinae* patet ex eo quod confessores eodem ordine, eodem anno, eodem die, eodem mense ac Eusebius disposuit. Id clare elucet ex tabula synoptica MH et opus Eusebii exhibente, quam prae oculis apponunt De Rossi–Duchesne (2). Quinimmo deducendum videtur MH textum longiorem Eusebii prae manibus habuisse. Id confirmari ex eo videtur quod etiam mentio Eusebii fit die 30 Maj in nostro Breviario et 21 Junii in MH: « In Caesarea Palaestinae depositio Eusebii historiographi » (3). Illa quae in Eusebio non habebantur, aliis ex fontibus sive oralibus sive scriptis documentis, sed nobis hucusque determinatu difficile, auctor Breviarii hausit.

---

(1) Iuxta *De Rossi–Duchesne o. c.* [LXVII] confessores qui probatis historiis cognoscuntur et qui ante Diocletianum occubuerunt atque valde probabiliter erant in Συναγωγή Eusebii sunt: In Asia Polycarpus cum Cosconio etc. die 23 Febr. In Africa Perpetua et socii 7 Mart. Pergami Carpus, Papylus et Agathonica 13 Apr. Synnadis Dorymedon 20 Sept. [Antiochiae] Ignatius episcopus 17 Oct. Item Antiochiae Silvanus et Marcianus 26 Oct. Iuxta *H. Achelis,* Die Martyrologien 61, Breviarium Syriacum non pendet a Συναγωγή Eusebii, sed allegatione « ex antiquioribus confessoribus » martyres, ex catalogis, ex depositionibus variarum civitatum similiter ac catalogus Romanus a chronographo a. 354 transmissus, desumpti, adducuntur. Idem probabile tenet *Kellner o. c.* 306.

(2) *o. c.* [LXVIII s].

(3) « Hinc, animadvertunt *De Rossi–Duchesne o. c.* [LXIX], transiit ad latinos martyrologos Eusebii commendatio, quae cum eius fama apud posteros, tam graecos quam latinos, mire discordat et multis occasio fuit disserendi ». *Nau o. c.* 9 (Cf. et *Bugnini o. c.* 249), putat quod Eusebius catalogum martyrum non confecerit, sed quod Breviarium nostrum elenchum onomasticum martyrum per dies dispositorum ex operibus Eusebii desumptum exhibeat. Breviarium hoc modo perfectum glossas non paucas receperit. Deinde in syriacum versum fuerit et in forma longiori in MH et in breviori in nostro Breviario, asservetur. Juxta *Kellner o. c.* 308 Breviarium Syriacum, *De Martyribus Palaestinae,* usum non est quia Eusebius martyribus tempus quo occubuerunt adnectit.

Attamen multa communia habent et invicem integrant. Utrumque convenit cum tempore commemorationis Pamphili et XI soc. Caesareae 16 Febr.; Romani Antiochiae, sed iuxta Eusebium, 17 Nov., iuxta Breviarium Syriacum 18 Nov.; Hermes exorcista etc.

Breviarium syriacum et Martyrologium Hieronymianum

Maxima inter utrumque connexio litteraria deprehenditur. Affinitas est quoad nomina confessorum, annos, dies, loca; quoad ordinem distributionis; quoad citationem « ex antiquioribus confessoribus » etc.

Haec affinitas apparet etiam ex eo quod utrumque Eusebium etsi diebus diversis (MH 21 Jun.; Brev. 31 Maj) commemorat. Utrumque pro Constantinopoli, Byzantium adducit (MH 7 Jun.; Brev. 19 Jun.). Affinitates quis in tabula synoptica edita a De Rossi–Duchesne *o. c.* [LII–LXIII] conspicere potest.

In Breviario tantum hae peculiaritates observantur. Mense Apr. inter dies 6–7 adiungitur: « Et in feria sexta, quae est post Pascha, in qua fit memoria omnium confessorum » i.e. commemoratio omnium sanctorum. Deinde sequitur indicatio liturgica: « In eadem feria sexta quae est post sabbatum Paschae » fit memoria Hermae Nisibi, qui in MH omittitur. Alii confessores qui desunt in MH sunt (1): Nisibi 30 Julii Adelphos et Gaios; Edessae 2 Sept. Ḥabib; 15 Nov. Šmūnâ et Gurîâ; Antiochiae 17 Oct. Ignatius episc. Antiochiae; 5 Maj Heros; 4 Febr. Maximinus episc. Antiochiae; 14 Maj Serapion episc. Antiochiae; 13 Jan. Zebinôs; 27 Martii Philippus episc. Antiochiae; 21 Maj Proterios; 14 Aug. Barlaha; 1 Sept. Euprepios; 12–14 Julii Papias et Mîtâôs. Et Caesareae Cappadociae Dios presbyter. Et in Isauria Zenobius. Hi confessores itaque plerumque episcopos Antiochiae (saec. II-III) respiciunt.

Praeter has affinitas strictissima inter utrumque adest. Nos horum divergentias in notis scripsimus. Ubi nulla apponitur nota, fere semper utrumque harmonice procedit. MH plerumque magis completum est provinciarum et civitatum nomina et distinctiones, confessorum qualitates (utrum episcopus, presbyter,

---

(1) Cf. *De Rossi–Duchesne o. c.* [LI].

diaconus, lector, monachus, eunuchus) et numerum in extenso etiam quando Breviarium tantum summam totalem refert, exhibens. V.g. Apr. 16 in Breviario: «Corinthi Achaiae, Leonidôs et alii confessores VIII». Sed in MH: «In Achaia Corintho civitate. Calesti, Carissi, Lute, Leonedis, Tertiae, Xp̄ianae, Calle, Theodorae, It. Carissi, Omnium in mare mersorum. Caritonis, Calestae, cum aliis V. Nicae, Galliniae, Municiae, Nigiae, et aliis. Marciani, Aniani, Felicis, Hermogenis, Vincenti, Tertii, Calistae». Cf. Febr. 14, 16, 23; Mart. 4, 7, 12; Apr. 19, 27, 28; Maj 7, 18, 19, 21; Aug. 11; Sept. 4, 10; Nov. 14, 17; Jul. 10 etc. Genera martyrii indicat v.g. Jan. 14; Mart. 12; Apr. 28; Maj 4.

Oritur igitur quaestio utrum ab alio pendeat an vero a fonte communi descendant (1). Victor de Buck MH versione latina Breviarii usum esse tenuit.

Attamen si Breviarium ex operibus Eusebii compilatum est, ipsum, fons, saltem unicus, MH esse nequibat quia illud hoc brevius est. Ideo supponendum opus maius ex Eusebio aliisque fontibus oralibus scriptisque documentis in graeco confectum, quod fons communis MH et Breviario fuerit. Prius illud copiosius adhibuit, aliud idem compendiavit. Vel dicendum archetypum illum integre in MH, abbreviate in Breviario servatum esse. Excludendum videtur quod Breviarium fidelius originale reproducat cum ipsum totum in MH intret et, procul dubio, versio non fidelis archetypi graeci sit.

Genealogia itaque Breviarii haec videtur. Primo, c̄a a. 360 opus graece ex Eusebio (praecipue) compilatum est Nicomediae (fortasse). Hic archetypus haberi potest. Fortasse additamentis ditatus est v.g. quoad confessores episcopos Antiochiae, Nisibi, Edessae etc. Secundo in syriacum translatus, confessoribus ex Oriente

(1) De hac re egerunt *V. De Buck* = Act. Sanctorum, Oct., t. XII, 185 et alibi; *H. Stevenson*, Scoperta della basilica di S. Sinforosa: Gli studi in Italia (1879), 439 ss.; *L. Duchesne*, Les sources du martyrologe hiéronymien, Mélanges d'archéologie et d'histoire 5 (1885); Id., = Acta Sanctor. Nov., t. II/1 [L–LXIX]. Minus vero *A. Egli*, Martyrien und Martyrologien ältester Zeit (Zürich 1887) et: Zeitschr. für wissenschaft. Theologie 34 (1891) 273–293.

et regni Persarum auctus est. Haec versio in codice Edessae a. 411 transcripta est cum illis transpositionibus quoad menses Junii et Julii uti p. 13 ss. actum est. Quomodo autem ex graeco in syriacum transiit latet. Probabiliter syrus archetypum compendiavit. Archetypus graecus copiosius vel integre in MH intravit (1).

De arianismo Breviarii syriaci

Quia Breviarium « die 6 Junii: Alexandriae, Arius presbyter » et die 30 Maj: « Memoria Eusebii episcopi Palaestinae » refert et quia Nicomediae vel saltem in Asia Minori Occidentali compositum videtur, quidam auctores (2) Breviario originem arianam attribuunt. In MH quidem Arius expresse non recensetur. Putant tamen sub nomine Artotis, Arthoci vel Arithoti (3) latere posse. In eodem MH die 21 Junii etiam Eusebii commemoratio fit sed cum peregrina ratione: « In Caesarea Palaestinae depositio Eusebii episcopi et historiographi ». Tantum Breviarium et MH Eusebii mentionem faciunt

---

(1) Iuxta *De Rossi–Duchesne o. c.* [LXVI], MH et Breviarium ex eodem fonte promanarunt. Breviarium prae manibus habuit opera Eusebii magis extensa. Iuxta *Lietzmann o. c.* 7 MH et Breviarium ab eodem archetypo proveniunt. Iuxta *Leclercq o. c.* Breviarium est compilatio documenti quod forma completiori in MH receptum est. Iuxta *Aigrain, o. c.* 23s. Breviarium est versio martyrologii deperditi. Originale quo MH (in versione deperdita) usum est copiosius erat illo a Breviario adhibito. Iuxta *Nau o. c.* 9, Breviarium est simplex tabula onomastica, seu index nominum confessorum ex operibus Eusebii de martyribus excerpta. Haec tabula glossis quibusdam aucta in syriacum versa est. Deinde in forma breviori recepta est in Breviario, et in forma longiori in latinum versa in MH. Idem tenet *Bugnini* = Enciclopedia Cattolica s.v. Martirologio, 248s. Iuxta *Kellner o.c.* 308, MH Breviario usum non est, sed Breviarium MH vel fontem communem adhibuit. Cf. *Achelis o. c.* 33ss.

(2) Ita *Duchesne*, Les sources du martyrologe hiéronymien, 123–137; *Id.* = Acta SS. Nov. cit. [LXIX]; *Leclercq o. c.* 2571 (qui eum sequitur); *Aigrain o. c.* 25; *Lietzmann o. c.* 7 et praecipue *Kellner o. c.* 302–309.

(3) Ita *Duchesne o. c.* [LXIX]: « In latinis etiam eodem die invenimus: *Alexandriae Ar* . . . vel *Ari* . . . sed hoc nomen corruptum est ita ut post secundam tertiamve litteram scriptura incerta sit ». *Duchesne* quidem putat identificationem cum Ario « ab auctoris patria et Eusebii commendatione aliquam vim accipere ».

et quidem contra spiritum traditionis communis quae ob arianismum Eusebium improbat. Haec indicia insimul sumpta auctorem pro Ario et pro phylo–ariano Eusebio praedilectionem habere ostendunt quod ex patria Breviarii, Nicomedia, arce arianismi considerata, confirmatur. Etiam quod nomen « Arius » et quidem, « presbyter » et « Alexandriae » urgeantur, parvipendendum non esse, animadvertunt (1). Similiter quod nullus confessor ex tempore concilii Nicaeni praeter Arium et de orthodoxis episcopis tantum Iacobus Nisibenus referantur (2), urgent.

Haec indicia minime spernenda sunt quamvis quaedam et aliter resolvi possint (3). Etenim nomen Arii in MH revera non reperitur. Codicem quem urgent, quique *Ar* . . . vel *Ari* . . . exhibeat, inspicere non potuimus. Attamen codices eiusdem MH Bern. Eptern. Wissenb. quos De Rossi–Duchesne edunt, habent: Pridie Non. Jul.: « In Alexandr. *Arthoci*, Zeti, Palladi, Philippi, Seueri ». In Syria, Aratoris. Neveduno, Zotici, Amandi, *Artetis*. Agustiduno depos̄ sc̄i Legonti ep̄i. » (Cod. Bern.). Vel: « In Al̄ax *Artotis* et in Syria Zotici, Palladi et Severi, Zeti, Philippi oratoris. Neveduno Amanti, *Artetis*. Agustuduno pas̄ Leonti ep̄i » (Cod. Eptern.). Vel: « In Alexandria *Arithoti*, Zeti, Palati, Phylippi, Seueri. In Syria Neueduno Zotici, Amandi. Agustiduno dep̄ sc̄i Legonti » (Cod. Wissenb.). Reperimus itaque: Arthoci, Artotis, Arithoti. Etiamsi in Arithoti, praeformativum cum Ario connecti posset, tamen id ex comparatione cum aliis duobus, Arthoci nempe et Artotis, excluditur. Praeterea nomen Arius multis personis fuisse concedit Duchesne (4). Ex alia parte Eusebii commemoratio ob gratitudinem erga eum, quia eius operibus auctor usus est, explicari potest. Indicia doctrinae arianae minime in Breviario apparent. Attamen his omnibus non obstantibus, origo

---

(1) Cf. *Leclercq* o. c. 2572.

(2) Ita *Kellner* o. c. 305 qui Breviarium Syriacum « Il calendario santorale ariano del IV secolo (370-380 c.) » appellat.

(3) Cf. *Nau* o. c. 10, 17 et *Bugnini* o. c. 249 qui de origine ariana Breviarii Syriaci dubitant.

(4) *O. c.* [LXIX].


ariana Breviarii probabilis haberi potest. Quod enim Arius ibi commemoratus, sit famosus haeresiarcha, ex eo quod « presbyter, et Alexandriae et die 6 Junii mortuus » dicatur, elucet. Confirmatur quoque ex eo quod nomen Arii rarissime, nisi tantum bis dicamus, in martyrologiis et calendariis occurrat (1); ex mentione Eusebii et ex patria Breviarii Syriaci.

De tenore translationis ex syriaco in latinum

Versio Breviarii Syriaci quam nunc in linguam latinam edimus, a nobis ex lingua syriaca facta est juxta textum Breviarii prout exhibetur apud *J. B. de Rossi–L. Duchesne*, Martyrologium Hieronymianum [LII–LXV], sine respectu ad alios codices aut editiones. Nam v.g. in editione, quae habetur in « *Patrologia Orientalis*, t. 10, II–26 », facta a F. Nau, leves variantes occurrunt. In versione formam latinam iis nominibus dedimus quae notiora apud Latinos putavimus, reliqua simpliciter transcripsimus. Haec versio litteraliter in genere textum syriacum reproducit. Cum nomen aliqualem difficultatem praeseferre videbatur, inter lineas [ ] transcriptum posuimus. Adiunximus notam interrogationis [?] ed ea nomina quae ita reddenda vel ita latine intelligenda nobis videbantur.

---

(1) V.g. in *Commentarium perpet. in Martyr. Hieronym.* = *Acta SS. Nov.* II/2, Arius non elenchatur, sed tantum Ariusus seu Arion et Orion occurrunt. In Indice ad *Acta SS. Oct.* Arius martyr in Aegypto die 5 Junii et Arius sive Macarius ep. conf. Petrae in Palaestina die 20 Junii tantum recensentur. In *Synax. Constant.* = *Acta SS. Propyl. Nov.*, in Indice p. 1057: Ἄρειος m. Jun. 5 (vide Markianos), et Ἄρειος haeraesiarcha (pluries) tantum referuntur. Die 5 Junii in *Acta SS.*, p. 412, *Menologium Graecorum* ex Baronio et Sirleto allegatum, « Arii » martyris sub Aegypti praeside commemorat.



TABULA I. Folium codicis ms in Musaeo Britannico adservati Add. 12150. Continet narrationem de vita Afifis martyris sub Maximiano (a. 285-305) quique ex illustri prosapia in Lycia ortus fuerat. In nota ms dicitur: «Liber hic Edessae, civitate Mesopotamiae manu viri nomine Iacobo a. 723 mense Nov. ad finem perductus est» Deinde adiungitur: «Et sicut quod scriptum fuit ibi, scriptum est et hic absque addictione. Et quae sunt hic scripsi a. 1398 iuxta Graecorum computationem».



TABULA II. Aliud folium codicis mss in Musaeo Britannico adservati Add. 12150. Continet commentarium in Eph. 2,3.

BREVIARIUM SYRIACUM

PARS I: *Martyres qui in Occidente occubuerunt*

Nomina dominorum nostrorum confessorum (1) et victorum et dierum eorum in quibus acceperunt coronas

In mense Konun priore (*Decembri*)

In vigesima sexta (2) iuxta Graecos,
confessor primus,
Hierosolymis, Stephanus,
Apostolus, caput confessorum.
Et in vigesima septima, Ioannes
et Iacobus, Apostoli,
Hierosolymis (3).
Et in vigesima octava, in Konun
priore, in urbe
Roma, Paulus, Apostolus
et Simeon Cephas, caput
Apostolorum Domini nostri.

---

(1) Vox syriaca ܡܘܕܝܢܐ (ab ܐܘܕܝ = confessus est) = *modinâ* proprie « confessorem » significat sed hic « martyrem » indicat.

(2) MH incipit a die Natali D. N. I. Ch., die 25 Dec.

(3) MH habet: « Adsumptio S. Johannis evangelistae apud Ephesum et ordinatio episcopatus S. Iacobi fratris Domini qui ab apostolis primus ex judaeis Hierosolymis est episcopus ordinatus et medio Pascha martyrio coronatus ».

Et in trigesima, in eodem mense,
Hermas exorcista, fuit
confessor in civitate
Bononia (1).

In mense Konun posteriore (*Januario*)

In sexta, in die Epiphaniae
Domini nostri Iesu, Heliopoli,
Lucianus (2). Et in septima
in eodem mense, Melitene,
Polyeuctos [Polyauqîtuâ].
Et eodem die, Heracleae
in civitate quae in Thracia [est],
Qnôdînôs, confessor.
Et Nicomediae, Lucianus,
presbyter. Et in octava,
in eadem Nicomedia,
Philoromus. Et in decima tertia
in Konun, Antiochiae, Zebinôs (3).
Et in decima quarta, Nicomediae,
Glycherius diaconus (4).
